

tes, plerosque pios ac doctos cum paupertate & omnis generis infortuniis conflictari, desciscunt, & adeo moleste & aegre hoc ferunt, ut vel ad publica munia euedi avaritiae se dedant, & salute fidei suae commissorum parum pensi habita, tantummodo mercedi ac muneribus inhiant, aut ad minimum continuis de salarii tenuitate querelis modo hunc modo illum obtundant, vel etiam animi impotentia omnino desciscant, & pietati unà cum literis nuncium remittant. Liberalia his, an seruilia ingenia tribuenda sint, non praecise facile dixerim; sed tamen, haec potius, quam illa eis conuenire, me arbitrari non diffiteor, quandoquidem ingenui homines non modo in otio hebescere nolunt, sed etiam, ut plurimis prosint, entuntur: praecipuo Virtutis praemio, gloria scilicet & honore contenti esse, nullasque molestias, hoc unico modo praemio ut potiantur, auersari assolent. Omnes trahimur, inquit Cicero, laudis studio, & optimus quisque maxime gloria ducitur; nullam enim virtus aliam mercedem laborum periculorumque desiderat, praeter hanc laudis & gloriae; in Oratione pro Archia. Ex omnibus praemiis Virtutis, si ratio est habenda praemiorum, amplissimum est praemium gloria: haec vna est, quae breuitatem vitae posteritatis memoria consolatur, quae efficit, ut absentes adsimus, mortui viuamus, haec denique est, cuius gradibus etiam homines in coelum ascendere videntur, ait idem pro Annio Milone. Quod si verò hoc etiam gloriae praemio virtus priuetur: se ipsa tamen contenta est, atque in memoria (ad minimum quorundam) gratorum hominum tanquam in luce posita laetatur, extat Philippica V. Ego nolo Caesar esse, ambulare per Britannos, Scythicas pati pruinas, scribebat olim ad Imperatorem Adrianum Poëta Florus bibax: Caesar autem ei, Ego nolo, false respondebat, Florus esse, ambulare per tabernas, latitare per popinas, culices pati rotundo: Scythicas, innuens, molestias ideò iucundiores sibi dulcedine vini esse, quia sciret, has ipsas molestias esse media, quibus immortale sibi nomen conciliare posset, ita, ut laus sua longe lateque diffusa, gloriaeque domicilium, non iis tantum regionibus, quibus vitae spatium circumscriptum erat, sed vniuersi potius Orbis finibus terminaretur. Marii verba apud Sallustium in Bello Jugurthino etiam ingenuitatem prae se ferunt, sic habentia: Non quidem possum imagines, neque triumphos, aut consularis Maiorum meorum ostentare; at si res postulat, ha-